

dicatur. Ut lucere scilicet à luce, sic ὑπὸ τῆς Φωτὸς τὸ Φάω, lu-
 ceo, mico. *Exquisitius Latini*, ait *Scaliger* de subtil. t. exerc. 71. s. 1.
 quàm *Græci* Φῶς dixerunt lucem. Etenim *Græcâ* voce lux ab illis
 dicta est hæc vis, quæ esset in corpore lucido, λυξ, unde λυκίβας.
 λυξ, λύκη, lux, *Germanis* Licht / *Light* *Anglis*, sed *Ebrais* יֵן, sicut
 ignis יֵן, iisdem radicalibus retentis, salutatur. Stella matutina
 Phosphorus, vespertina Hesperus; ille Solis anteambulo, *the day-*
star, hic pedisequus, *the evening star*, ut *Angli* nominant; res ta-
 men una, stella Veneris Phosphorum recentiores aliqui, & inter
 eos *Hermes* Ingeniosissimus, vocârunt *Luminarem* istiusmodi *Ma-*
gnetem, luminis in aere tractorem, & ad tempus aliquod conserva-
 torem: quo de agemus paullò post. Pari sensûs latitudine co-
 gnominârunt *Phosphorum Smaragdinum*, inventum ante annos a-
 liquot phenomenon, ad breve spatium resplendens; ut is suo pa-
 tetur loco. Phosphori naturam quoq; imitari creditur *Bononi-*
ensis lapis ritè præparatus; cuius naturam, qualitates, patriam, fi-
 guram, differentiasq; commentatione studioq; singulari annis ab
 hinc quatuor exposuit Vir Nobilissimus Experientissimusq; D.
Christianus MENTZELIUS, Consil. & Archiater Elect. Brandenb.
 Amicus atq; Fautor colendissimus. Ut sensa tamen animi mode-
 stè proferam, videtur appellari *Phosphorus* quandoq; id, quod no-
 minis haud implet rationem. *Phosphorus* nimirum propriè hoc
 audit corpus, quod internâ & substantiali luce gaudet. At lux &
 lumen differunt, ut ens per se subsistens & per aliud. Intuere Phos-
 phorum naturæ, ipsum porrò Solem, luminis & diei effectorem
 contemplare. Possidet in sese lucem, lumen generat per radios.
 Et dabo tibi corpus artificio paratum, lucidum in sese, luminoso lumen
 etiam, & lucidam cum minimis particulis virtutem tribuens obie-
 ctis illis, vix separandam amplius, & valdè comburentem. Phospho-
 rus deinde alii communicat, non aliunde haurit lumen. At *Sma-*
ragdinus, *Hermeticus*, ac lapidis *Bononiensis* Phosphorus sic dictus,
 lumen aëris solare imbibunt, ut is à carbonibus candentibus colo-
 rem induit in pulverem materiæ redactæ atq; madefactæ. Postre-
 mò illum ego Phosphori honore dignor, qui, quam in se lucem ha-
 bet, retinet constanter, nec amittit. Erit igitur tum Phosphorus,
 cum

Quid pro-
 priè sit
 Phospho-
 rus?